

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Differentiæ Juris Antiqui : præsertim Romani & Germanici Moderni, juxta
Ordinem Digestorum & Eorundem Synopseos Schoepfferianæ instar Palæstræ
Novæ in Usum Privatim Disputantium in Academia Rostochiensi exhibitæ**

Rostochii: Apud Georg. Lud. Fritschium, 1730


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002296854>


Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1730

Mantzel, Ern. Joh. Frid.





DIFFEREN- TIÆ JURIS ANTIQVI,

præsertim
ROMANI & GERMANICI
MODERNI,

juxta
ORDINEM DIGESTORUM & EORUNDÉM
SYNOPSEOS SCHOEPFFERIANÆ
instar

PALÆSTRÆ NOVÆ

in Usum
PRIVATIM DISPUTANTUM
in
ACADEMIA ROSTOCHIENSÌ
exhibitæ,

PRÆSIDE
ERN. JOH. FRID.
MANTZEL,

PH. & JUR. DOCT. ac INSTIT.
PROF. ORD.

ROSTOCHII,
Apud GEORG. LUD. FRITSCHIUM,
Bibliopol. Anno 1730.


*Famam Generis factis propriis
extensuris,*

*Novamque famam familie
conciliaturis*

DOMINIS
STUDIOSIS
JURIS

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

ACADEMIA ROSTOCHIENSI
viventibus & victuris.



Allocutio ad Auditores.

Amici Humanissimi!



Vo magis ego vos solertes
atque avidos esse observo,
eo ardentiora sunt mea vo-
bis inserviendi vota ; Et
quia methodus facilis omni-
no valde juvat, sollicitus
omni conatu sum, ut vobis vias monstrem &
semitas, quibus duci poteritis ad scopum &
finem. Sunt equidem tot Compendia, ut
pluribus Academiæ haud indigeant, nec ego
eam gero Philautiam, ac si nova artifacia me-
thodi invenerim; Verum rapior ad evulgan-
da Compendia, quia sunt vestro ex ordine
multi, quibus meis positionibus uti, gratum
& facile videtur. Evulgavi ante annum Pa-

A 2

læstram

læstram Studiosorum Juris, continentem extemporanea opera in chartam conjectas theses vel controversas vel exercitii & ingenii causa disputabiles ; Nolui ut illa prostaret aliis venalis, qui non essent Commilitones meorum Collegiorum, sed frustra illa jam quæritur ab illis, qui non mox exemplaria sibi acquisiverunt. Aut igitur debebam novam editionem concedere, aut non amplius adornare aciem disputatoriam, tertium enim, disserere nimirum ad textum vel contextum, infinita habet incommoda, & theses proprio marte excerpere, non omnium genio placet. Novam vero quod attinet editionem prioris Palaestræ, non potui illam permettere hoc semestri hyberno, quia incepi illam polire opellam, nec hactenus illam emendationem & augmenta ad finem perduxī; Intermittere Exercitia Disputatoria plane inconsultum esset ; Ergo mediam viam aliam eligere lubuit, scilicet publicandi *Differentias Juris Antiqui, præsertim Romani & Germanici moderni*, ad seriem Pandectarum ; Spero hanc operam non inutilem esse futuram, sed confido, DEum illi esse benedictum, quia non scribacitatis nifus, sed studium veritatis, & conatus Juvenes Studiosos in Academia ad futuram felicitatem disponendi, præparandi, hoc scribendi genus, a me , an dicam, efflagitavit, an extorxit, an vero blande sollicitavit. Accipiat

piat igitur Lector, hunc novum meum laborem
 læta fronte; Alloquor autem meos Amicos, nam qui me non amant, corrugent
 frontem & torvum videant instar bubulci,
 vel si magis illa idea placet, ut anus,
 & ita convenient, visuri quam elegans
 hoc sit spectaculum, ac prouti pacem & ju-
 stitiam alias se osculis excipere dicimus, sic &
 hi nobiles fratres discordiam & injustitiam ad
 vivum repræsentantes, sibi infigant oscula
 reciproca. Sed hæc quasi in parenthesi. Utan-
 tur mecum hisce meis thesibus Commilito-
 nes optimi, qui non Leguleji aut Rabulæ,
 sed JCti evadere cupiunt, habebunt medium
 viam inter romanizantes nimis & germani-
 zantes nimis, & puto ego hanc viam esse pro-
 vide calcandam, ne quis degeneret in Virum
 Curiæ & Reip. inutilem. *Strykius, Leyserus,*
Grænewegen, Schilterus, Böhmerus, Ludovici &
 alii Scriptores Junioris ævi dabunt ea quæ hæ
 primæ lineæ & theses non nisi enumerant;
 Convenient igitur Commilitones qui ultra
 crepidam Justinianeam sapere cupiunt, & di-
 stincte meditentur atque differant ad singulas
 observationes, postulentque a me probatio-
 nes & rationes; Ego arbiter æquus ero.

Vale Lector humanissime, & uberiorio-

rem præfationem ipse tibi
finge.

Libr. I. Tit. I. DE JUSTITIA & JURE.

1. **J**urisprudentia & Justitia etiam in Germania sunt definiendæ , in terminis textuum Romanorum.
2. Justitia adhuc dividi potest in universalem & particularem, & hæc iterum in commutativam & distributivam.
3. Principis est Jus circa Sacra , & Papa est Non - ens morale.
4. Graviter errant, qui non admittunt Jus divinum positivum universale.
5. Juris divini Ceremonialis usus nullus superest ; Forenses autem possent feliciter introduci , exceptis legibus , quæ specialem habuerunt rationem status.
6. Non tamen sunt necessario recipiendæ.
7. Definitio Ulpiniāni Juris N. excusari potest.
8. Consuetudines in regula referendæ sunt ad non entia.

Lib. I. Tit. II. de ORIG. JURIS.

1. Germanos Leges Romanas recepisse , cœteris paribus non adeo fuit inconsultum.
2. Eleganter loquitur B. Beyerus in Hist. Jur. quod pedetentim serpere & gliscere cœperit Jus Romanum in foris Germaniæ.
3. Corpus Juris Germanici nec sperandum nec optandum est.
4. Non differt J. R. a Germ. ita ut illud allegans teneretur probare receptionem specialem,

- ac si non haberet fundatam intentionem.
5. Errant etiam, qui a rationibus LL. Rom. ad earundem non-usum concludere solent, recepta enim sunt etiam illa passim, quæ recipi non debuissent.
6. Multa habentur pro differentiis J. R. & G. & sunt veræ differentiæ Juris Civilis & Canonici, hoc enim Jus citius se insinuavit in Germania.
7. Quilibet Princeps Jus Rom. in territorio suo abrogare potest, salvo nexu proprio.
8. Jus Publicum Rom. obtorto collo trahitur ad Germaniam.
9. Distinctiones inter Leges, plebiscita, SCta & Principum Placita, ne utiles quidem sunt.
10. Jus Prætorium autem distinguere ab aliis, necessarium est.
11. Responsa nostrorum Prudentum habent etiam vim Juris.
12. Transmissio Actorum ad Collegia Juridica est Juris Germ. & occasione Constit. C. C. adeo frequens facta.
13. Romani formularum erant mancipia, Germani iliorum fuerunt amici; Nos libere scribimus & loquimur in Curia; Sed ea propter finge se JCtum quivis Idiota, &c.
14. Eleganter docti utuntur apud nos stylo Curiae eleganti, & ipse sic dictus Schleiertrianus formularius satis est.
14. Speculorum Svevici & Saxonici usus præcticus nullus est, illustrationes autem infinitæ inde peti possunt. A 4 15.

15. Quinquennium a Studiosis Juris in Germ.
non adeo pedantice erit observandum pro-
pter Rec. Imp. Rom. §. 22.

Lib. I. Tit. III. de LEGIBUS &c.

1. Principis nomen e Jure Rom. caute trahen-
dum ad Germaniam, potest enim illud ad-
hiberi quidem in sensu Juris Publ. univer-
salis, non vero specialis.
2. Quilibet Princeps in suo Territorio est Im-
perator & Papa.
3. Nostræ Augustæ non sunt sociæ maritalis
dignitatis.
4. Consuetudines in statu democratico obti-
nere possunt, non autem facile in Monar-
chico.
5. Glossa nullam habet auctoritatem circa
Corpus Juris, exceptis Novellis & Jure
Feudali.

Lib. I. Tit. IV. de CONSTIT. PRINCIP.

1. Non dantur inter nos Constitutiones Prin-
cipum in sensu Juris Romani.
2. Rescripta non faciunt Jus.
3. Clausula: si preces veritate nitantur, subintel-
ligitur semper, interdum exprimitur.
4. Decreta nobis non faciunt Jus.
5. Capitulationem Cæsaream appellare Le-
gem Regiam, vetat nostrum Jus Publicum.
6. Beneficia nostrorum Principum non sunt
late interpretanda.

Lib.

Lib. I. Tit. V. de STATU HOM.

1. Feminarum privilegia merito hodie cessant;
Imo nunquam vera illa habuerunt privilegia.
2. Feminae Romanæ, maritatæ præsertim, nimis inæqualiter tractabantur, & magis mancipia maritorum, quam eorundem sociæ dici poterant; Eiusdem Vitii rei fuerunt antiqui Germani; Hodie aliud extremum experitur seculum.
3. In Germania Femina dignitatum capax est, nam e. gr. potest nobilitari.
4. In Praxi partus ultra undecim estres pro legitimis habeantur, sed caute.
5. Quod Bened. Sacerdotalis, moribus recepta, non sit de essentia matrimonii, inter alia civiliter inde patet, quod filius ex sponsa natus, sponso patre mortuo sit per omnia legitimus.
6. Romani monstra occidebant, nostro Jure id non licet.
7. Non dantur Servi in Germania, postquam captivitatis alia est conditio; Et errant, qui homines proprios deteriores servis Rom. appellant.
8. Utut autem sint meliores, tamen pro libertate adhuc erit pronunciandum.
9. Quæ de Captivis Barbaris passim dicuntur, nullius sunt momenti, nam etiamsi tales haberemus, non tamen licerent ea in illos,

quæ licebant in servos, propter Christianismum.

10. *Lib. XI. C. Tit. 50. 51. 52.* agitur de colonis, nostris hominibus propriis apprime similibus.

11. *Distinctio inter Cives & Peregrinos* non obtinet in sensu Juris Rom. bene autem alio, præsertim Jure Lub. & aliis particularibus.

Lib. I. Tit. VI. de HIS QVI SUI VEL.

1. Tempora conceptionis, gestioneſ & partuſ distinguere, adhuc utile eſt.
2. Legitimationes per subsequens matrimonium, ob cefſantem concubinatum, ſunt qui- dem rariores, non tamen rariffimæ.
3. Et omnes qui legitimantur inter privatos, ſunt ſpurii, non naturales.
4. Paſta dotalia hodie ad legitimationem non requiruntur, poſtquam benedictio ſacerdotalis eſt recepta.
5. Legitimatio per Rescriptum Principis in Germania non obtinet in ſenu Romano.
6. Nec eſt illa ſubſidiaria, ſi ducere quis femina prohibitus, ſed promiſcua eſt, etiam ipſo ſpurio petente, indulgenda.
7. Datur adhuc Legitimatio per oblationem Curiæ, ſi ſcil. Spurius arte vel marte celebris factus.
8. Patriæ potestatis effectus omnes adhuc ſunt in Uſu; Reſtriicti tamen ſunt omnes per Magistratus concurſum.

9. Ma-

9. Matres nec hodie sub potestate habent liberos, utut sint honoratores matribus Romanis.

10. Feminas Jure Sax. & Lub. esse sub perpetua curatela, est contra Jus Rom. & posset feliciter, imo deberet merito abrogari.

Lib. I. Tit. VII. de ADOPT. & EMANCIPATIONE.

1. Adoptio est actus meræ facultatis, & fuit in Usu in Germania ante Jus Rom.
2. Quod autem valde infrequens sit, evenit ex diversa ratione status Reip. Rom. & Germ. improles enim odio habebantur.
3. In Germania non dantur castrati juxta §. 9.
l. de Adopt.
4. Novella Leonis 27. non est recepta in Praxi.
5. L. 13. §. 2. ff. b. t. valde analoga est Juri Ha- genstoltziatus in Germania passim prudenter recepto; Utut cœlibatus nec crimen, nec vitium sit.
6. Hodie fratrem sibi adsciscere licebit, propter licentiam pactorum successoriorum.
7. Unio Prolium est plane Juris Germanici, & expediret, illam esse Jure Universaliter receptam.
8. Putamus enim, quod e. gr. in Megapoli, unio prolium frustra fieret, quia non specialiter in usu haec tenus est.
9. Emancipatio coram judice adhuc hodie fieri

fieri potest, sed non solet ita fieri, quia tacita, Romanis etiam haud insolita, moribus Germanicis plane est recepta.

10. Quæ autem fit ad certum actum, semper solennitates requirit.

11. Fit autem regulariter emancipatio quoad filias per nuptias, & quoad filios etiam sine illis. Imo a nuptiis ad emancipationem inter nos firmiter concluditur; Romanorum contra filii cogebantur ad nuptias manentes cum liberis sub potestate Patris & avi.

12. Nepos in potestate avi est non-ens in Germania.

13. Patres Germani ad emancipandum posunt cogi.

14. Filii emancipati bona adventitia Pater de Jure Rom. ex dimidia parte, olim Jure dominii, postea jure noviori jure ususfructus retinebat; Hodie filius easdem pleno jure postulat.

15. Separatio sive Abdicatio Liberorum Jure Lub. & Hamb. & forte aliis recepta, nulla habet in Jure Rom. vestigia; Concordat tamen, vel ex accidenti, vel quia Compilatores romanizant, cum emancipatione Romana.

Lib. I. Tit. VIII. de RERUM DIVISIONE.

1. Non dantur Res absolute communes i. c. tales,

- tales, quæ non possent fieri publicæ, excepto vasto Oceano.
2. Quæ in Jure Rom. res publicæ dicuntur, nobis sunt Regalia, in statu Monarchico; In Aristocratiis & Democratiis sunt Res Reip. ad ideam Rerum Civitatis.
 3. Ergo de Littore maris, fluminibus, insulis natis, ripis & portibus, Jus Rom. frustra consulitur.
 4. Jura, Stapulæ, Granii & Grutiæ, fluminum usum restringentia, sunt etiam inde Juris Publici Patrii, non Rom.
 5. Res Immobiles sacras facere nec hodie est actus arbitrarius, de mobilibus autem clara est licentia; Juvat tamen adhuc distinguere destinationem ab adhibitione.
 6. Res sacras Diis superis, sanctos medioxumis, religiosas inferis fuisse dedicatas, erronea est sententia; Et quamvis non erret, nihil tamen interreslet.
 7. Rerum sacrarum alienatio & mutatio difficilis est, sed non impossibilis.
 8. Res ecclesiasticæ liberius possunt tractari.
 9. Non habemus res religiosas, & nostra se pulchra sunt in commercio; Idem dicendum de subcelliis in templis.
 10. Muros transcendere nobis non punitur capitaliter.
 11. Descriptio rerum corporalium non est philosophiæ Stoicæ, quæ tactum tantum pro sensu habebat, sed illa est adhuc hodie adæquata.

12. Ti-

12. Tituli Libri I. Pandectarum de Officialibus & Officiis variis sunt Juris Publici Rom. & non nisi ex accidenti & illustrationis gratia in Germania evolvuntur. Sicuti in genere in epte Jus Publ. Rom. trahitur ad nostrum statum ; Quia gravissimus error est, Nostrum Imperium esse continuationem Monarchiae Romanæ.

Lib. II. Tit. I. de JURISDICTIONE.

- 1.** Totus hic Titulus est Juris Publici & in Germania per se parum utilis.
- 2.** Fines inter Jurisdictionem Civilem & Criminalem ex Legibus Romanis non regundi.
- 3.** Extra territorium expediri poterunt actus voluntariæ Jurisdictionis ; Sed hoc a non-nullis DD. merito in dubium vocatur.
- 4.** Jurisdiction extraordinaria frequens adhuc est in Germania, Principes enim solent ad certas causas distincta adornare judicia.
- 5.** Mandata & delegata Jurisdiction nobis eadem sunt.
- 6.** Jure Rom. non licebat mandare Jurisd. criminalem, sed per C.C.C. art. 2. jam illud licet.
- 7.** *Tit. ff. de Off. ej. cui mand. est Jurisd. recte inscribi a nobis posset : de Commissariis.*
- 8.** Prorogatio Juris voluntaria expressa, per l. 14. & 18. h. t. permissa erat ; Hodie non ita.
- 9.** Jure Can. c. 12. X. de for. comp. Clericis ne quidem

- quidem jurato renunciare foro suo licebat ;
 Hodie licet indistincte , quia in omnibus
 Judiciis idem Judex & idem Jus est.
10. Distinctio inter Jurisd. secularem & eccl-
 esiaisticam Juri Rom. est incognita , & posset
 illa etiam nos adhuc latere .
11. Jurisd. patrimonialis vestigia in Jure R.
 frustra queruntur .
12. Quia Criminalis Processus Romanorum
 erat mere accusatorius , sumptuum onus
 erat vel accusatoris , vel accusati ; Hodie
 in inquisitorio fert illos regulariter fiscus .
13. Actio de albo corrupto non datur ampli-
 us ; Sed hodie album corrumpere est deli-
 citum ex officio & pro arbitrio & modo
 admissi puniendum .
14. Pœnæ pecuniariæ & omnes quantitates
 aureis & solidis comprehensæ , in Legibus
 antiquis Romanis & domesticis ipso jure
 sunt mutatae ob crescentem pecuniam scil.
 Ut taceamus leges talia disponentes utplu-
 rimum carere prudentia ; Oportebat enim
 juxta proportionem geometricam illas
 condi .
15. Non datur facile tergum subsidiarium ;
 Regula enim : Qui non habet in ære luat
 in corpore , utroque pede claudicat .

Lib. II. Tit. II. QVOD QVISQUE &c.

1. Edictum : quod quisque juris &c. in Resp.
 Rom. forte potuit habere usum , utut fuerit
 sine

sine solida ratione & prudentia datum;
In Germania autem ejusdem non-usus valde evidens est.

2. Retorsio Jurium est meri Juris Germanici.

Lib. II. Tit. III. VII. & X.

1. Actio contenta in *Tit. Si quis Jus dic. non est in Uso*, Est tamen factum quæstionis delictum puniendum ex officio.
2. Idem veram est de actione fundata in *Tit. Ne quis cum;*
3. Illa autem quæ est ex *Tit. de eo per quem fact.* tendit ad interesse civile tantum.

Lib. II. Tit. IV. V. VI.

1. Nemo hodie in jus vocatur, sed omnes citantur, etiam ex propria domo, contra *I. 18. ff. h t.* Datur tamen vestigium hujus Juris Rom. in quibusdam emporiis, ubi ex propria domo in civilibus nemo potest in judicium vel carcerem rapi; Unde expectandum, donec transierit limites suos, quem in finem dari solet ein Fang-Zettel.
2. Actio adversus vocantes sine venia in effectu adhuc est in usu, quoad injuriarum censurarum, quæ omnino imminet verba non temperantibus in factum.
3. Omnis citatio est peremptoria.
4. Citatio generalis s. ad totam causam est "Juris Germ. Aliud autem dicendum de Mediata, propter *Tit. ff. de Requir. absent. & de Custod. & exhib.*

5. Ci-

5. Citatio incidens in diem feriatum hodie non est renovanda, sed comparendum est die sequenti.
6. Satisdatio in ius vocatorum hodie exolevit; Nam cautio de Judicio sisti, & judicatum solvi, alia longe est.

Libr. II. Tit. VIII. IX. X. XI.

1. Tit. VIII. Usus per se nullus apud nos est.
2. Ad cautionem juratoriam admittuntur in Germania non tantum illustres & spectabiles, sed omnes, qui sunt integræ fidei; Ut plurimum autem hæc quæstio est ex jure partium.
3. In nostra Praxi non dantur cautions inter litigantes præstandæ aliæ, præter eam super lite prosequenda, reconventione & expensis, simpliciter, & non amplius usque ad decimam partem litis refundendam, a parte actoris, & a parte rei de iudicio sisti & judicatum solvi.
4. Quinam sint a cautione immunes, non adeo ex legibus, quam ex arbitrio Judicis venit determinandum.
5. Nulla datur causa nobis, in qua non esset attendendum ad postulatam cautionem, nec excipiuntur amplius matrimoniales.
6. Cessat hodie periculum præscriptæ actionis postquam citatio facta, unde Tituli *de eo per quem fact. usus quantus sit, appareat.*
7. Tit. IX. *Si ex noxal. non est in Uso.*
8. Action ob vadimonium desertum non alia

B

ter

ter datur quam ad indemnationem ratione expensarum termini.

9. Utiliter tamen Tit. XI. applicatur ad casus cautionis & salvi conductus in criminalib⁹.

10. Diem insinuationis non computari, non ex Legibus, sed ex praxi constat.

11. Legitimorum impedimentorum quæstiones non incongrue stant sub clausula: Si qua justa causa mihi visa fuerit.

Lib. II. Tit. XII. de FERIIS &c.

1. Quidam religio in Germania non est una, diversorum fidei sociorum diversæ feriæ omnino sunt attendendæ. Imo etiam ad Sabbathum Judæorum.

2. Errat Praxis, quæ L. ult. C. h. t. non observat, sed die feriato citationem insinuat. Idem dicendum de illa praxi, quæ contra l. 6. f. h. t. sententias Sabbatho latas non dicit nullas.

3. Ferias messium ex textu l. 2. C. b. t. in Germania determinare velle, idem esset ac in Megapolithermas querere; Ut taceamus legem illam esse suspectam.

4. Dilatio deliberatoria non datur, & Auth. Offeruntur, C. de L. C. non est in usu.

5. Dilationum luxuria in Praxi nostra est destabilis, & notetur graviter juramentum Advocatorum & calumniæ. Et male negligitur l. 4. C. de Dilat.

6. Nulla datur dilatio legalis universalis in Germania, nisi unica, decendii sc. appellationis.

7. Ter-

7. Terminus probatorius & alii judiciales & ordinis, ex parte sunt ordinationum speci- alium , maxime autem arbitrii Judicium.
8. Non autem Terminus probatorius est adeo peremptorius, ut nullas partes haberet clau- sula Prætoris generalis.
9. Circa quartam demum dilationem difficiles sumus in Praxi ; Unde in *Ord. Jud. Prov. Meclenb.* interjuramenta tantum habetur : Eyd quartæ dilationis.
10. Illustris est differentia Juris publici antiqui & moderni, quod Papa non sit Protestantium Dominus ; Hinc Principis solius est, fe- rias divinas ordinare ; Et quæ præter diem septimum, quem male *Strykius Jun.* notare voluit, celebranda sunt , meri sunt arbitrii, salvis tamen pietatis & prudentiæ legibus ; Jam igitur post tot abrogata festa , subsi- stendum esse putamus.
11. Memorati Steyki Progr. de *incommodis festo- rum*, si intelligatur de temporibus præteri- tis, elegans est ; Hodie non impediunt paucula illa festa.
12. Ictus sine Calendario est similis Reip. sine horologio ; Oportet autem eundem diffe- rentiam Calendarii antiqui novi semper ob oculos habere.
13. Dies juridice semper incipit a media ho- ðe juxta l. 8. ff. b. t. & c. 1, X, de Fer, destitu- tur ratione,

Libr. II. Tit. XIII. de EDENDO.

1. Quia nostra Jurisprudentia non est adeo formularia, non equidem amplius opus est exprimere nomen actionis; Quam utile autem sit eandem scire, agnoscunt serio, qui non sunt Rabulæ.
2. Quomodo enim Advocatus vult prudens appellari, qui in concursu actionum selige non potest; Nam illa doctrina de actionibus concurrentibus non vult adeo jejune tractari, ceu facere solent, qui uno vocabulo, *Cessat*, uti in more habent.
3. Recte Libellus articulatus Jure Germ. est abrogatus, solebant enim in præludiis olim oleum & operam perdere. *Diss. Leyser.*
4. Inspiciens antiquum libellum observabit quid sit Pedantismus Juridicus.
5. Clausula salutaris est quidem Juris Germ. quoad majestatem & omnipotentiam vulgo ipsi tributam, & quatenus est asylum ignorantiae; Habemus autem jam in Jure Romano judicis officium nobile implorandum. *Vid. l. 66. ff. de Judic. & tit. C. ut, qua defuncti Advoe. part. judex suppl.*
6. Plures una actiones uno libello institui adversus eundem reum, in praxi merito non admittitur.
7. Concurrunt adhuc in Germania actiones *cumulative*, *alternative*, & *elective*; ut & *successive*, sed non in poenalibus, quando scil. in posteriori plus est. *g. Poe.*

8. Pœnæ plus potentium non sunt amplius in usu, utut Diff. Mev. P. 6. Dec. 323.
9. Mutare libellum post L.C. licebat, sed non licet; Ita scribunt DD. sed nihil in effectu scribunt, Jus Rom. enim adhuc obtinet in terminis legis 79. ff. de *Judic.*
10. Formulam: *Sine Die & Consule a Romanis accepimus; Copiae habeant diem & Consulem*, quod utile est.
11. Errant DD. qui t. 6. §. 2. b. t. non in usu esse dicunt; Nihil enim æquius quam exigere juramentum calumniæ hoc casu; Et licet deficeret lex, adesset tamen generalis ratio, a natura illius juramenti, & arg. praxeos ad tit. *ad Exhib.*

Lib. II. Tit. XIV. de PACTIS.

1. Pacta nuda Romanis invalida, nobis sunt obligatoria; Et Bodinus spec. diff. contrarium defensurus confundit pacta & tractatus.
2. Habuerunt autem Romani sat graves rationes, cur pactis nudis robur denegaverint; Nec ipsis maiores nostri Germani illis efficaciam tribuerunt. Hinc Jure Canonicō introducta est validitas. Nec subscribere possumus Dn. Leysero, qui ipso Jure Romano noviori antiquatam dicit invaliditatem.
3. Non dantur pacta legitima; Nec distingvimus amplius inter pacta in continenti & ex intervallo adjecta. B 3 4. Nu-

4. Nudum pactum tollit obligationem quamcunque, & non habemus monstrum stipulationis Aquilianæ.
5. Feminarum pacta & contractus sine Curatore non valere, est Juris Germanici particularis superflui.
6. Non distinguimus inter minorem curatorarem habentem & non habentem.
7. Nostrī homines proprii ex suis pactis obligantur.
8. Paēta p̄paratoria contractuum nec hodie valent, nec fluit argumentum ab exclusa poenitentia in contractibus innominatis.
9. Cum arrharum dispendio a contractibus recedere nec hodie licet.
10. Nihil dicunt, qui hodie ad faciendum praeceſe cogi aliquem posse defendunt.
11. Alteri per alterum inter Germanos acquiriri potest obligatio.
12. Distinctio inter pactum juratum & injuratū merito nihil operatur; Et Jus Canum vendidit Praxi nostræ.

*Libr. II. Tit. XV. de TRANSACTI-
ONIBUS.*

1. Quod distinguamus inter Pacta & transactiones, nullius est utilitatis, postquam nuda pacta sunt efficacia. Excipiatmodo vis transactionis, quatenus æquiparanda merito rei judicatæ.
2. Disputare, an transactio sit contractus vel pactum, hodie capropter nihil operatur.

3. Ex

3. Ex eodem principio fluit, etiam de re certa transigi vel pacisci licere.
4. Sicuti & illud inde fluit, quod involyat hodie novationem.
5. Transigere super relictis in testamento, non inspectis tabulis hodie licebit omnino.
6. Transaction in Criminalibus hodie plane simili licet modo, quo licebat Romanis; id est, quoad satisfactionem læsi, salva pœna publica.
7. Excipitur enim adhuc adulterium.
8. Etiam contra sponsalia & Matrimonium Moribus transigere integrum est, modo fiat judicialiter.

*Libr. III. Tit. I.-III. & IV. de POSTULI
PROCURAT. & QVOD CUFUSQUE
UNIV. NOM.*

1. Distinctio inter Procuratorem & Advocatum non est Juris Privati Germanici, in sensu Romano, nam non datur Procurator, qui esset Litis Dominus.
2. Quia Inquisitis non potentibus ex officio damus Assistentes, illi dicuntur Defensores, juxta sensum Juris Romani ita appellati.
3. Advocatos Fisci Romani quidem habuerunt; Sed nostris dissimiles propter naturam Processus Accusatorii & actionum popularium, usque ad tempora Hadriani, vid. l. §. C. de Delatoribus.
4. De qualitatibus Advocatorum non ex Le-

gibus Romanis, sed ex nostris Constitutionibus erit judicandum.

5. Idem dicendum de eorundem & eorum filiorum Privilegiis.
6. Feminæ nunquam apud Rom. lites alienas tractarunt in foro, & antiquitus illæ erant in perpetua curatela.
7. Nostri Advocati ex una causa ultra 100. aureos accipere possunt.
8. Pactum de quota litis in Germania inter nostros Advocatos, prævio juramento ad officium admissos, erit concedendum.
9. Duos vel plures Advocatos habere in una causa omnino hodie licebit in regula.
10. Cessante necessitate inscriptionis in Criminalibus hodie admittitur Procurator.
11. Illustres necessario per Procuratorem agere debere, elegans fuit Lex, & merito observatur adhuc.
12. Procuratoria in Germ. præcise sunt concipienda etiam nomine heredium.
13. Syndici Constitutio est Juris Publici in Germania. Conf. L. 6. §. 1. ff. b. t.
14. Distinguamus prudenter & quinque ob causas in Germania inter Syndicos qui tales sunt cum honoris titulo & sine titulo.

*Libr. III. Tit. II. de HIS QVI NOT.
INFAM.*

1. Multa olim infamiam facti conciliabant, quæ hodie infamiam juris comitem habent, E. gr. *Fornicatio*, 2. Con-

2. Contra multa infamabant apud Romanos, quæ idem non operantur in Germania.
3. Ergo mores magis quam Leges Romanæ sunt attendendi, e.g. quoad i. enicum -- contractus infamantes &c. Necessarium tamen Judici est omnia Romana attendere, quo inserat sententia: Doch seiner Ehren unverlegt.
4. Nec subscribimus STRYKIO U. M. §. ult. b.t. reservationem famæ a Judice non-Superiore fieri non posse statuenti, poterit enim illud omnino in differentiis Juris Rom & Germ. ob tutiorem viam.
5. Et quia effectus & usus hujus tituli se exserit hodie in Muneribus, præsertim sacris, matrimoniis, Testimoniis & Testamentis, ubique cautus sit Judex, fama enim & vita pari passu ambulant.
6. Infamia Juris non nisi ob factum legibus notatum imminet; Ergo causæ civiles non infamant, nisi facto; Hinc facile judicandum de regula: *Dolus infamat.*
7. Flosculi & vocabula Germanica valde sunt vaga in hac materia: e. gr. Das ist nicht ehrlich, das ist kein redlich Stück, das ist ein Schelm-Stück. Nec habemus, quæ propriæ distinguerent infamiam Juris & facti; Nisi forte quædam ex parte peregrina mollius quid denotent. e. gr. das ist nicht honnett, nicht brav. &c.

B 5

§. Le-

8. Levis notæ macula oon est inventum Ia-
ris Germanici, sed fundata est in Legibus
Romanis.
9. Spurii Germani non sunt sine macula.
10. Hodierni Carnifices sunt macula notati;
Olim non erat sic, antequam excoriationis
sorditiei se participes redderent, tan-
tum officium des Nachrichters excententes.
11. Castratores Suum & Opiliones in regula
non sunt maculati.
12. Stuprum infamat feminam jure, mascu-
lum facto.
13. Sunt quædam vitia, quibus Respubl.
cum omnibus suis Legibus impar est; E-
xemplum est; Quod injuriati habeantur
pro infamibus usque ad vindictam, non ve-
ro injuriantes.
14. Levi macula notati, nisi alio facto se infames
fecerint, a testimonio non sunt arcendi.

Lib. III. Tit. V. & VI. de NEG. GEST.

& de CALUMN.

1. Oblatio male vertitur a nostris JCtis die
Selbstanerbietung, rectius diceretur die
Zudringung.
2. L. 38. ff. b. t. non est in usu, cessat enim pœ-
na centesimarum usurarum.
3. Tit. de Calumniatoribus non est in usu;
Omnia enim resolvuntur in refusionem
expensarum & actionem injuriarum. E.
gr. Lucius macht ein Weib's Bild auff, die
muß Cnejum als Vater ihres Kindes ange-
hen und actionieren.

4.

4. Olim Calumniatorum fronti inurebatur litera K; Constantinus bene quidem abrogavit poenam quoad regulam; Sed ratio ejus, quia facies facta ad similitudinem pulchritudinis coelestis, claudicat.
5. Potest enim hodie ob aliquod delictum fronti signum infamiae inuri.

*Lib. IV. Tit. III. de RESTIT. IN INTEGR.
& QVOD MET. CAUS.*

1. Restitutio in integrum in Megapoli & alibi est remedium ordinarium suspensivum; Quæ autem in hoc libro exponitur est de extraordinariis, hodie a quovis Judice, non Principe tantum, ut volunt nonnulli, concedendis, salvo usu juris Prætorii quoad fatalia.
2. Illa conceditur etiamsi justa causa non videatur Prætori, hæc nunquam sine justa causa.
3. Contra Sententiam ex falsis instrumentis latam & juramento necessario superstrutam restitutio civilis per triginta annos adhuc in Praxi patebit.
4. Quadriennium & omnia tempora olim liti finienda præscripta, hodie servantur ad item inchoandam.
5. Restitutionem in integrum petentem non ubique obligari ad juramentum calumniæ, vehementer auget lites.
6. Non dantur casus, quod petita restitutione executio decernatur, nisi sententia sit forte provisionalis.
7. Coa-

7. Coacta voluntas etiam dicitur voluntas
L. 21. §. 5 ff. quod met. cans. unde restitu-
tione in integrum opus fuit; Sit ita, ut ut
nostri Juris Principia monstrant, negotium
metu gestum ipso jure nullum esse.
8. Non datur actio quod metus causa in qua-
druplum, sed ad omne quod interest, &
est perpetua.
9. Lex Extat 13 b. tit. & l. 7. C. unde vi omnino
ad huc est in usu; Nec feriunt nos flosculi
dissentientium, quod in toto orbe Christia-
no sint antiquatae, satis Christianum enim
est, cavere, ne quis fiat Judex in propria
causa; Notentur expressae Leges Germani-
cae, nempe O. C. Worm. de 1521. & Rec. Imp.
de 1532.
10. Juramentum vi extortum non habet vim
juramenti, & regula Jur. Can. *Omne Jura-*
mentum &c. vincitur per magis sobrias:
Juramentum sequitur naturam actus; Et
Juramentum non facit obligationem, sed exi-
stentem confirmat.
11. Relaxationem Juramentorum extorto-
rum non nisi illi petent, qui nimis scru-
pulosi sunt in conscientia.

Lib. IV. Tit. III. de DOLO MALO.

1. Tit. de Dolo malo in Germania non est utilis
in terminis Romanis, versamur enim in
simplici regula: *Jura assistunt deceptis, non*
desipi-

decipientibus; Et hinc electio est penes deceptum, an contractum servare, an nullum dicere velit.

2. Non tamen plane eessat distinctio inter dolum causam dantem contractui & incidentem, propter quæstionem: An Dominium ex contractu doloso transferatur? quod verum de illo, non de hoc. *Adversus tertium, doli non participem, nihil erit movendum.*
3. Distingvere etiam in hoc tit. inter contractus b. f. & stricti juris non est plane inutile, præsertim si spectaveris unilateralium jura.
4. Sit autem dolus tantus, qui cadit in virum prudentem, cæterum enim in contractibus circumvenire se etiam in hoc sensu licet.
5. Non omnis dolus in Germania infamat iuxta textus Romanos.
6. Indeque Actio doli, quæ etiam de minimis conedenda in Praxi est perpetua, nisi fortius de verbis in factum temperandis & inde oriente actione in factum magis placuerit.

Libr. IV. Tit. IV. V. & VI. de MINORIBUS, & de CAPITE MINUTIS, & EX QVIBUS CAUS. MAJ.

I. Jura Germanica majorenitatem ante annum

- num XXV. tribuentia, non sunt adeo æqua
quam Romanum.
2. Dicterium Germ. Der Eyd macht misndig,
concordans cum Avth. Sacram. pub. sine o-
mni est fundamento & principio. Et re-
cte Henr. VII. Imp. consilia volvit de ab-
roganda avthentica.
 3. Minores hodie contra matrimonium resti-
tui posse, multa probabilitate defendunt
nonnulli JCti.
 4. Matrimonium rite contractum hodie ex
minore facit majorenem.
 5. Venia ætatis nullo certo termino in Ger-
mania est adstricta.
 6. Tit. de Capite Minutis non est in usu; Decla-
ratio tamen in bannum privat aliquem o-
mni jure , etiam naturali ; Et separatio
Lubecensis est vera Capitis deminutio,
sine tamen venditionis glaucomate.
 7. An damnati ad labores perpetuos possint
hodie testari? Problema nobis erit.
 8. Omnis absentia est vel favore digna , vel
eodem indigna , sine Romano circuitu.
 9. Clausula Præatoria generalis arbitrium Ju-
dicis laxum satis quidem reddit, sed quod
omnipotentiam illi tribuat & despoti-
sum , adeo ut pro justa causa & ratione
nonnunquam sit voluntas, vitium nostra-
rum est Curiarum.
 10. Quid sit ignorantia probabilis difficulter
intel-

intelligitur, forte autem dicenda estne par-
donable Unwissenheit eines facti.

*Lic. IV. Tit. VIII. de RECEPTE. QVI
ARB. RECEP.*

1. Proritus litigandi inter nos tantus est, ut arbitri raro eligantur.
2. Licebit hodie sub juramento compromit-
tere, contra Nov. 82. Cap. II.
3. Ipse Judex arbiter esse potest in Germania.
4. A laudo appellare contradictorium est,
poterit tamen illud corrigi ab ordinario
Judice.

Lib. IV. Tit. IX. NAUT. CAUP. &c.

1. Titulus hic plane adhuc est in usu, exce-
pto duplo ex quasi delicto praestando;
Nam adhuc Reip. interest, viatores esse
secutos.
2. Nec juvat deductio ab odio Cauponum
&c. Romanorum, qui habebantur pro ho-
minibus nequam.
3. Applicari etiam omnino potest ad rheda-
rios & veredarios publicos.

Libr. V. Tit. I. de JUDICIIS.

1. Quænam causæ sint Summariae nullis legi-
bus, sed arbitrio Judicis est determinan-
dum.
2. Judicis persona & qualitates ex Legibus
Rom. non satis bene dijudicantur, quia ob
oculos

oculos habenda distinctio inter patrimonialem & personalem Jurisdictionem.
Atque hinc de Minore, femina, cœco, Ju-
ris imperito &c. judicium ferendum.

3. Moribus germanicis non solum forum ar-
resti fundatur, sed etiam forum causæ, ut-
ut idea jurisdictionis extraordinariæ ali-
quatenus ex Jure Rom. juvet.
4. Non datur hodie communis Patria, & quæ
de Aula & Camera Imperiali, vel Residen-
tiis Principis a nonnullis statuuntur sine
fundamento sunt.
5. Forum Contractus non habet locum, nisi
contrahens ibidem deprehendatur, vel
bona ibidem habeat, & non putamus hanc
esse differentiam Juris Rom. & Germ.
6. Quæ de delicto in confinio commisso dis-
runtur, rioris hodie, olim autem fre-
quentioris fuerunt usus, quia quinque pe-
dum spatium efficiebat confinium.
7. Hodie remissio facinorosorum est urbani-
tatis, nisi jam semel fuerint deprehensi;
Sequitur etiam inde, non obtrudi posse
illos recipere nolentibus. Omnia autem
male sunt introducta, & sœpe per igno-
rantiam Judicis vel defensoris patiuntur
inquisiti, dum non attenduntur diversa
jura fori, deprehensionis & delicti.
8. Privilegium miserabilium personarum
quoad forum, omnino adhuc obtinet, ut-
ut rarius se se exserat.

9. Degræ-

9. Degradatio canonica adhuc utiliter exercetur.
10. Denique eadem hic luditur fabula, quæ ludebatur circa Tit. de Jurisdictione, quod nimirum multa sint Juris Publici Specialioris.
11. Homines Proprii habent personam ständi in judicio etiam contra Dominos suos.
12. Recte quidem generalis Litis Contestatio est abrogata per Rec. Imp. nov. §. 37. quamvis non multum differat ab exceptione actionis non competentis, quæ usitatisstima & non abrogabilis.
13. Litis Contestatio Eventualis jungenda cum exceptionibus dilatoriis simul opponendis per eundem Recess. §. Eod. abbreviat omnino Processus; Sed Praxis jam male recedit a regula.
14. Tristis est differentia J.R. & Germ. quod hodie post L. C. Lites sint immortales.

Lib. V. Tit. II. de INOFFICIOSO

TESTAM.

1. Querelam inofficiosi testamenti sub fuco insaniæ instituere, expedit adhuc hodie.
2. Omnes exheredationis causæ sunt adhuc hodie casus dabiles.
3. Exhæredationes autem valde raræ sunt in Germania, ob Christianismum.
4. Praxis, quæ stuprum passam exhæredari finit, non intelligit Romanas leges.

C

§. Por.

5. Portio statutaria passim introducta per omnia æquiparanda legitimæ.
6. Legitima Matris per substitutionem pupillorum a Patre factam non potest violari.

*Lib. V. Tit. III. & seqq. de HERED.
PETIT.*

1. Remedia hæreditatis possessoria & petitoria in praxi etiam ad casus, quando illa pacto est quæsita, sunt adhibenda.
2. Adhuc in Praxi homo præsumitur vivere posse centum annes.
3. Præsumuntur adhuc tergemini nascituri.
4. *Tit. V.* cum tota materia de Bonorum Possessionibus adhuc est in usu.
5. Avitam hereditatem in Praxi intra XC. annos peti adhuc posse, frustra afferitur.

Libr. VI. Tit. I. & II. de REI VINDICATIONE & de PUBLIC. IN REM ACT.

1. Collisio regularum, Romanæ : *Ubi rem meam invenio, ibi eam vindico;* & Lubecensis Hand muss Hand wahren, tanta est, ut anceps sit victoriæ Spes; Nos pugnabimus pro Lubecensi.
2. Milites cum pupillis, quoad res sua pecunia emtas, in vindicando non amplius paria jura habent.
3. *L. 2. C. ubi in rem ait, mendacii poena statuitur,*

- tuitur, quæ recte adhuc esset in usu; Sed misera satis est Praxis, quæ ad lites abbreviandas introductory obsolescere patitur.
4. Bonæ f. possessor fructus consumtos, ex quibus locupletior factus, non restituit.
 5. Adhuc probatio dominii est difficilis, hinc actio publiciana est tutior, & caute agimus ex dominio vel quasi.
 6. Etiam malæ fidei possessor habet publicianam in rem actionem, præsertim si tantum m. fides supervenerit; Nec hoc ingreditur differentiam illam Jur. Civ. & Canonici.

*Lib. VI. Tit. III. SI AGER VECTIGAL.
Liber. VII. p. t. de USUFRUCTU.*

1. Jura Emphytevtarum Germanorum non adeo ex hoc titulo, quam ex pactis, sunt petenda. Idem etiam statuendum de omnibus aliis clientelaribus contractibus.
2. Jure Germanico vox Lehn valde abusive adhibetur ad quosvis contractus hereditarios, sub certis præstationibus initos.
3. Pater habet usumfructum in bonis adventitiis liberorum, quæ tamen tenetur omnia emancipatis extradere. De matre Germanica idem male assertura DD. nonnullis.
4. Nostri ministri ecclesiæ agros dotaes possident jure ususfructus laxioris.

C 2

5. Quo-

3. Quoad transmissionem ususfructus ad hæredes illa Jura Germaniæ Provincia- rum accurata sunt, quæ diem Margarethæ attendunt; Quæ enim ex Jure Italico Calendas Martii retinent, non agnoscunt, quam diversum clima sit.
6. Tit. de Operis Servorum haud parum utilis est.
7. Dotalitii, quod Jus privatum Romanum ignorat, natura, ad normam materiæ usufructuariæ est considerandum, & tenetur vidua ad præstandam cautionem.
8. Virgines nobiles Meclenburgicæ, die Erbs Jungfern, sunt veræ Usufructuariæ, salvis singularibus.
9. Maritus moribus Germanicis tantum non universalibus non amplius legitimus administrator, sed usufructuarius & quidem jure laxiori est paraphernalium.

Libr. VIII. de SERVITUTIBUS.

1. Servitutes in faciendo consistentes dari in Germania facile defenditur; Quamvis nec negari possit, etiam in Jure Rom. tales observari, circa servitutes altius tollendi & oneris ferendi.
2. Jus Lubecense, quod etiam in plurimis locis receptum in hoc capite esse Praxis docet, in materia fencistrarum æquius est Jure Romano.

3. Ad:

3. Adhuc hasta erecta distinguit viam ab itinere & actu.
4. Jura reciproca , quæ a nonnullis mutuae servitutes male appellantur, quia sunt instar societatis æstimanda , v. gr. Koppels Weyde, Jagten &c. sunt Juris Germanici.
5. Thesis Juris Romani: *In favorem libertatis erit pronunciandum*, euidem Jure nostro adhuc est vera; Sed a multis Romanis subtilitatibus merito recessit Praxis ; Sic enim, consentiente proprietario & usufructuario constituitur servitus , contra l.15. § f. ff. de Uſufr. quæ tamen forte corrupta est; Sic vicinus vicino , socius socio, usufructarius proprietario, imo colonus & inquilinus locatori, acquirit servitatem ; Sic non præcise requirimus, an prædium vicinum sit in commercio ; sic causam continuam non requirimus ; &c.
6. Præscriptione immemoriali tantum acquiri servitutes discontinuas , speciatim rusticas, Praxeos communioris Germanicæ est ; Atque in hoc passu Jus nostrum libertatem magis extollit, quam Jus novius Rem. Antiquiori enim plane non poterant acquiri præscriptione.
7. Vana fuit subtilitas & logomachia in quæstione : An servitus possit concedi ex tempore , ad tempus, sub conditione &c.

C 3

8. Rega-

8. Regalia nonnunquam in Germania induunt naturam servitutum.

*Lib. IX. Tit. I. Si quadrupes - & reliqui
Tit. de DAMNO DATO AGENTES.*

1. *Tit. ff Si quadrupes*, quatenus a Schœppfēro lynoptice est tractatus, nihil habet, quod non ad Germaniam applicari posset; Nec stoizant JCti Romani.
2. Sunt autem quædam, quæ Jus Germanicum addidit; Sic enim actioni de pastu accedit, quod nobis licet peccora pignorare; Sic consulendus *Art. 136. C. C. C.* quoad animalia singulariter nociva, & si liber homo perierit, non plane negligimus legem divinam de bove cornupeta. Et *art. all.* non agit tantum de fera bestia.
3. Lex autem de animali, quatenus est antediluviana, est universalis.
4. Actionem L. Aquiliæ B. Thomæsius recte appellat larvatam, magis enim simplex est nostra actio forensis de damno dato; Sunt autem illæ larvæ, 1) in distinctione actionis in directam, utilem & in factum; 2) in distinctione animalium, quæ in pecudum numero sunt & non sunt; 3) In distinctione capitum L. Aquiliæ.
5. Non autem larva est, quod damnum non simpliciter æstimetur juxta tempus damni dati.

6. Actio

6. Actio viduæ & liberis ob occisum mari-
tum & patrem tributa, est Juris Germa-
nici.
7. Actio L. Aquiliæ hodie est ad hæredes &
active & passive transitoria.
8. Habetur in Praxi ratio deformitatis & do-
lorum etiam quoad masculos & nuptas.
9. Actio de dejectis vel effusis in omnibus
terminis obtinet nostro Jure modo du-
plum petatur sub allegatione ejus quod
interest.
- 10 Idem dicendum de actione de posito vel
suspenso ; non tamen illa est popularis,
pœna est arbitraria.
11. Actio noxalis nullam præstat utilitatem ;
Sed quoties ex facto famulorum, liberorum
&c. obligantur Domini & patres &c. ali-
unde illud erit petendum.

*Lib. X. FIN. REG. FAM. ERCIS.
COMM. DIVID. AD EXHIB.*

1. *L. quinque pedum 5. C. fin. reg. in Germania*
exempla non invenit.
2. Majorem fratrem dividere & minorem
eligere, lex germanica particularis, sine
fundamento prudentiæ est.
3. Ad quæstionem : *Quando dividenda sit ha-
reditas post mortem ?* silent Jura Germa-
nica, & omnia remittunt ad honestatem.
4. Testamenta & pacta in Familij Illustri-
bus

bus divisiones Principatum &c. prohibentia, sancte sunt servanda.

Ad Lib. XI.

1. *Actio interrogatoria merito est abrogata, & quidem ipso noviori Jure Romano; Quamvis supersint necessitates respondendi ad petitum actoris, quo fundetur actio.*
2. *Et Positiones in quibusdam Germaniae provinciis Jure Can. viam parante, receptae, rectius etiam abrogarentur, potius enim impediunt quam expedient.*
3. *Actio de servo corrupto, quippe quæ, cum omnibus utilibus extensionibus, plane fundatur in Decimo præcepto, omnino obtinet, excepto duplo in terminis.*
4. *Actio ex SCto de Fugitivis omnino est adhuc in usu, non autem sunt illius objectum famuli nostri conductitii.*
5. *Tit. de Aleatoribus non est utilis in Germania, & si in nonnullis Statuum territoriis dantur prohibitiones ludorum, illæ sunt Tit. de Aleatoribus, & ceu correctoriaræ leges strictæ sunt interpretationis.*
6. *In genere autem Principes ludos restringere quidem, sed non plane prohibere possunt.*
7. *Actio si mensor datur hodie ob culpam & adversus heredes, quia est ex contractu.*

8. Se-

8. Sepulchra facere non cuivis licet ubi vis, postquam autem facta, Jus Romanum plane superest; Et actio illa in factum de qua Schæppf. n. 7. utilis omnino est.
9. Sepultura gratis est concedenda.
10. Peccant graviter mores Germanici, in civitatibus & templis sepulchra concedentes, ob rationem ab exhalatione, quæ tamen non sola fuit Romanos movens, quia maxima fuit a penuria territorii, in urbe inæstimabilis.
11. Distinctio sepulturæ in honestam, inhonestam & asinianam, est Juris Patrii.
12. Desideramus, ut leges Romanæ, de ornamenti cum corporibus non defodiendis, renoventur; Stultitia enim infantilis est, quæ hodie æmulos agitat homines.
13. Tit. de mortuo inferendo, multum habet usum.
14. Pœnæ tyraunicæ arrestantium funera, non sunt applicabiles.
15. Quæcunque cum apparatu & singulari strepitu fiunt, illa transeuntes significare debent Magistratibus.

Lib. XII. Tit. I. de REB. CRED.

1. Distinctiones contractuum, quos habet Schæppferus b. t. omnes adhuc sunt practicæ.
2. Pactum & promissio de mutuo dando &

C s

acci-

acciendo non obligat perfecte, immutum enim est contractus realis.

3. Obstatum recte per Ord. Pol. de 1577. tit. 17. est abrogatum.
4. Non recte sentit Schilterus exceptionem non numeratae pecuniae in foris nostris dubiam reddens; Nec obstat, Rinthelienses semper dissentire a communiori Praxi.
5. Anno autem tempus biennii sit nimis longum? alia quæstio est.

Libr. XII. Tit. II. III. de JURAMENTIS.

1. Jurare Christianis non est peccatum, nequidem in contractibus, deberet tamen Magistratus omni meliori modo juramenta restringere.
2. Non sunt Juramenta: Bey Fürstlichen, Gräflichen, Adelichen Ehren.
3. Nil moramur Juris Canonici regulam: Omne juramentum &c. sed meliores nobis sunt illæ: Juramentum sequitur naturam actus, & Juramentum non facit obligationem &c.
4. Admittimus recte Juramenta etiam contra matrimonium.
5. Eleganter loquuntur Nostrates, qui Juramentum purgatorium appellant torturam moralem.
6. Juramenti extrajudicialis usus rarus quidem, sed bonus.

7. Jura-

7. Juramentum calumniæ generale consulto in Praxi rarum est.
8. Advocatos ut plurimum non jurare quoad singulas causas, sobrie receptum, prouti & Juramentum appellationis iisdem passim olim impositum, bene remittit Praxis.

Lib. XII. Tit. IV. V. VI. VII. de CONDITIONIBUS.

1. Nihil interest hodie distinguere inter Conditiones & actiones.
2. Condicio ex pœnitentia est non-ens in Curia germanica.
3. Hinc, quæ de jure pœnitendi quoad condit. causa dat. caus. non sec. scribuntur, maxime ad contractus innominatos sunt referenda.
4. Non tamen eapropter rara est hæc conditio in nostris foris, quia se extendit super omnes casus prænumerationis.
5. Turpitudo in solo dante nobis non est causa dabilis, si sc. accipiens non praestiterit promissum malum factum.

Lib. XIII. Tit. I. II. III. de CONDITIONIBUS, FURTIVA, EX LEGE, & TRITIC

*& Tit. IV. & V. de EO QVOD CERTO,
& de CONSTIT. PEC.*

1. Conditionem furtivam adversus heredes

des simpliciter, etiamsi fur suspensus, locum habere; communior Germaniae sententia est.

2. Res furtivæ a fiscis plane retineri, piratum, & nimis arctos designare terminos, iniquum est.
3. Vulgatum illud: *Glücklich ist der, dem sein Dieb entlängt,* olim verum, hodie falsum est.
4. Tit. de Condict. ex Lege, videtur esse inutilis, postquam actiones non sunt amplius nominandæ; Sed multum præstat, se fundare in lege, quam in nuda æquitate & imploratione officii Judicis; Idem dicendum de statutis & consuetudinibus.
5. Condictiōnem Triticiām in usu non esse, quis dicere audet?
6. Idem interrogamus circa actionem de eo quod certo loco.
7. Tit. autem de constituta pecunia exulem esse redditum ipsa inspectio docet; Nam quæ *Stryk. II. M. b. t. §. 2.* de singulari efficacia hodierna pactorum geminatorum differit, non intelleximus hactenus.

*Lib. XIII. Tit. VI. COMMODATI & Tit.
VII. de PIGNORATITIA ACTIONE.*

1. Distinctionem inter commodatum & precarium, si per nos staret, a foro Germanico juberemus esse alienam.

a. Errant

2. Errant DD. qui nostro Jure dominium transferri in commodatarium sentiunt.
3. Äquior tamen est Juris Lubecensis dispositio juxta vulgatum : Hand muß Hand währen.
4. Merito art. 170. *Conf. Crim.* disponens de poena furti usus in deposito, ad commodatum in simili applicaretur.
5. Materia de dolo, culpa & calu, quam opportune satis hoc loco tractavit Schœfferus, in foris nostris quidem maxime subjacet arbitrio judicis, eapropter tamen legalis illa delineatio valde utilis est.
6. Distinctio culpæ in latam, levem & levissimam est Juris Romani; Cæteræ sunt nostrorum Doctorum; Et maximam partem cerebrinæ: v. gr. inter culpam ignaviæ & versutiæ, latam & latiorem, &c.
7. Ex Creditore posse fieri debitorem in contractu antichretico, illorum DD. est opinio, qui nolunt attendere, quod tamen fieri debebat, crescentis pecuniaæ calculum.

Ad Libr. XIV. & XV. continentes Actiones plurimas adjectitiae qualitatis.

1. Venit in controversiam, an actio exercitoria unquam fuerit in Germania in Usu? Nos credimus Artifici Marquardo, qui in *Libr. de Jure Mercatorum* testatur de Usu.

2. Non

2. Non tamen dissimulari potest, modernas controversias maritimas ex principiis domesticis ut plurimum decidi.
3. Plures exercitores teneri in solidum, juxta l. i. §. 13. ff. de *Exerc. act.*, rectior est sententia; Et quamvis Batavi ab illa abeant, tamen Germani manent adhuc in litera.
4. Aut neque hodie alteri per alterum potest acquiri obligatio, aut quæ *Schäppfers* habet n. 14. de cedendis actionibus sunt inutilia.
5. Actio Tributoria non potest dici abrogata; idem dicendum de ejus forore, actione scil. de Peculio. *Libr. sq. tit. 1.*
6. Jus quasi - separationis nostris foris haud incognitum, ducitur ex l. 5. § 15. b. t.
7. Quomodo *Tit. V.* quod cum eo &c. ad curiam nostram trahere possemus, non videmus.
8. Actio de in rem verso a negotiorum gestorum actione in Praxi non multum differt.
9. L. 10. §. 6. ff. de in rem verso, non valet, nam indistincte videndum, an filius restituerit.

Libr. XLV. Tit. II. de LEGE RHODIA

Tit. VI. de SCIO MACED. & LIB. XV.

Tit. I. de PECULIO.

1. Vox Germanica *Haverey* juvat decisionem de æstimandis rebus servatis juxta pretium venditionis in portu ubi appellantur.

2. Datur

2. Datur hodie actio adversus convectores.
3. Collisio apparet inter vulgatum : Bodmeyer trægt nicht Haverey, & l. 2. §. 2. ff. de L. Rhod. Nos manemus in lege.
4. Justissime *Const. Crim.* art. 218. damnat irrationalib[us] consuetudinem des Strand-Nachts; Dare autem das Barge-Geld, et quissimum est.
5. SCtum Macedonianum bonum valde est, sed in Germania, quæ Patres ad emancipandum cogit, raro applicabile.
6. Extensio illius ad minores evidenter superflua est, male enim consuleretur rebus minorum, si exceptio minorenitatis pingvior non esset.
7. Multum etiam labuntur, qui hanc exceptionem adhuc tribuunt filiis, utut separatam habeant œconomiam.
8. Non datur peculium servile.
9. Matri nullibi competit Ususfructus in bonis liberorum ; Quamdiu Patri competit alibi jam est adlatum.
10. Peculia Castrenia & quasi-castrenia, item Profectitia , rariores aves sunt in Germania, quam illa fuerunt inter Romanos, nam causa' est, quod nostri Parentes proni atque faciles sunt ad emancipandum.
11. Pecunia Iustrica est Juris Germanici, & spectat ad peculium adventitium regulare; nisi intentio dantis sit alia, nam inde dependet decisio. Lib

*Lib. XVI. Tit. I. ad S^Ctum VELLEJAN.**& Tit. II. de COMPENS.*

1. Posset, imo deberet in Germania ad hunc titulum scribi : Cessat.
2. Sed haec tenus ita commentari non licere, etiam apparitores sciunt.
3. In Praxi quævis femina, viri ad instar se gêrens, hoc SCto non gaudet. e. gr. Jurisdictionem exercens, mercatrix, liborum tutrix &c.
4. Oportebat etiam multos alios excipere causas, v. gr. conditionem indebiti habere solventem; Sed fluctuat curia, quamvis recte se habeant decisiones : Quod sufficiat, semel in vita eandem fuisse certioratam; Quod generalis renunciario omnium beneficiorum fidejussoriorum sufficiat; Quod non requiratur Notarius, si sensus Juris germanicis verbis expositus, &c. Excipiems usorem pro marito fidejubentem.
5. Simplicitatis & justitiae plenum est dicterium vernaculum: Abrechnen ist gut bezahlen.
6. L. 6 ff. de Compensat. intelligenda de pacto nudo, quod exceptionem tribuebat, non vero actionem; Ergo non capienda de hodierna naturali obligatione.
7. Recte in Praxi compensatio non admittitur adversus salario & alimenta.

Libr.

miss
miss
la bno
ms:



the scale towards document

tro Jure dominium
odatarium sentiunt.
ris Lubecensis dispo-
: Hand muß Hand

Crim. disponens de
posito, ad commo-
caretur.

pa & calu, quam op-
o tractavit Schœpf-
quidem maxime sub-
, eapropter tamen
valde utilis est.
atam, levem & levif-
ni; Caeteræ sunt no-
Et maximam partem
er culpam ignaviae &
atiorem, &c.

fieri debitorem in
ico, illorum DD.
int attendere, quod
, crescentis pecuniae

continentes Actio- titiae qualitatis.

am, an actio exerci-
in Germania in Uso?
ci Marquardo, qui in
a testatur de Uso.

z, Non